

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

1
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42



1669.

33. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De injuriis.
- 34^a et Schroeterus, Ernestus Fredericus: De diligentia.
- 35^a et Schroeter, Ernestus Fredericus: De occupationibus.
36. Schroeter, Ernestus Fredericus: De feudi alienatione.
37. Schroeter, Ernestus Fredericus: De executione.
38. Schroeter, Ernestus Fredericus: De remissione peccatorum seu delictorum.
39. Schroeter, Ernestus Fredericus: De jure repraesentationis.
40. Schroeter, Ernestus Fredericus: De jure primarum precum.
41. Schroeterus, Ernestus Fredericus: De pignoris et hypothecis.
42. Schroeter, Ernestus Fredericus: De affectu ne

1664.

43. Simon, Joh. Georg : De excubiis fugatis atq.

1664
52.

44. Simon, Johannes Georgius : De resolutione legati sagatis.

53.

45-46
44. Simon, Johannes Georgius : De cem dissensionum

54.

decades. 2 Sump.

46^{9^{te}} Simon, Joh. Georgius : Jura peculorum. 2 Sump.

55.

1669-1677.

47. Simon Joh. Georg : Mercatores...

47. ~~Stranchius, Johannes : De crimine sodomice.~~

56.

~~[Cap. 7: Ludovic. Clappius 2 Sump.]~~

48. Stranchius, Johannes : De regali vectigalium

jure.

49. Stranchius, Johannes : De in jus vocacione

sive eslatone

50. Stranchius, Johannes : De errore

51.^{9^{te}} Stranchius, Johannes : De crimine sodomice

2 Sump. 1669-1720.



1669.

52. Struchius, Johannes: De conditione rei furtivae


53. Struchius, Johannes: De novi operis nunciatione

54^{a. b.} Struchius, Johannes: De jure collegiorum opificum.

2 Exempl. 1669 & 1725

55. Struchius, Johannes: De origine, auctoritate,
et libris juris canonici . . .

56. Tilemannus, Burcharde Henricus: De jure consuetudinis.



255.
30

JOHANNIS STRAUCHII,
Antecessoris Salani, 1669, 53
SELECTARUM
CRITICO-CANONICARUM
DISSERTATIONUM

PRIMA:

De

ORIGINE, AUCTO-
RITATE, ET LIBRIS JU-
RIS CANONICI.

Quam

publico eruditorum examini

offert

SEBASTIAN FRIDERICH Zierig.
Cüstrin. Neomarch.

Revid d. VII. April. *Henrich Simon*
H. L. C.

JENÆ,
Typis NISIANIS. Anno
cl^o l^oc LXIX.



IOHANNIS STRABONIS

SELECTIONUM

CRITICO-CANONICARUM

DISSERTATIONUM

PRIMA

ORIGINE, AUCTO-

RITATE ET LIBERTATE

RIS CANONICIS

publico eruditorum examini

SEBASTIANI FRIDERICI STRABONIS

Consilii Neoburgi

M. DCC. LXXV.

Typis Neoburgi Anno

MDCCCLXXIX





DISSERTATIONUM CANONICARUM
P R I M A

De

Origine & libris nec non au-
toritate Juris Canonici.

I.



Aminde ab initio! & velut incunabulis
Ecclesiæ Christianæ ex præscripto Apo-
stoli, omnia debebant fieri, *κατὰ τὴν καὶ*
εὐχρηστόως. Cum verò ratio ordinis con-
veniētis decōrisque non sit vel à natu-
râ, vel humanâ ratione certis finibus, iis-
que invariabilibus circumscripta, atque

*In Ecclesiâ
debens o-
mnia fieri
ordinate &
decore.*

determinata, & proinde omnibus haut eadem, oportuit sa-
nè ut hæc *ἐν ποσεία καὶ εὐχρηστόως* tam circa *λατρυγίαν*, quàm
disciplinam Ecclesiasticam & mores certis comprehende-
retur regulis, sive scriptæ eæ sive non scriptæ essent, quæ au-
ctâ ad aliquem modum Christianorum civitate, & nascenti-
bus, ut naturaliter fieri solet, subinde dubiis, conciliorum
definitione multiplicatæ & adauctæ tandem colligi à stu-
diosis hominibus in unum velut corpus cœperunt. Et in
Oriente quidem, quàm occidente, longe prius.

*Inde cano-
nes seu re-
gule.*

II. Antiquissima autem collectio videtur esse cano-
num, qui vocantur apostolici. Certè ejusdem vetustatis
sunt, cujus est constitutionum apostolicarum, sub nomine

*Canonum
antiquissimi
apostolici.*

A

Cle-



Clementis Romani editarum liber, quippe qui hos canones capite ultimo exhibet integros, ut observat Photius, *Bibliotheca codice 112. 113. p. m. 290. pr.* Constat, jam tempore Sylvestri, qui Miltiadi successerat, Romani Pontificis, eorum mentionem fieri ab Alexandro, Episcopo Alexandrino, apud Theodoretum *lib. 1. c. 4.* ubi, ut susciperentur Clerici à se excommunicati *μη τὸν Ἀποστολικὸν κανόνα συγχωρεῖν* (*non permittere apostolorum canonem*) ait. Est autem is canon 16. Exstat apud Eusebium *lib. 3. de vitâ Constantini c. 59.* Epistola Constantini M. ad Eusebium, quâ laudans huius pietatem atque prudentiam, quod Cæsareanam Ecclesiam noluerit deserere, sed maluerit *ἀποστολικὸν κανόνα* observare. Est autem is canon apostolicus decimus quartus. Eodem modo in Synodo Constantinopolitanâ sub Nectario, canon, qui est septuagesimus quartus, & in Ephesino XXXIV. & XXXVI. citantur. Porrò & Theodosius Imperator anno D. 440. Irenæum quemdam arguit præter apostolicos Canones Episcopum esse factum. Et Justinianus *Nov. 6.* hos canones aut Apostolorum esse, aut saltem è doctrinâ eorum profluxisse. Hinc & Synodus Nicæna canone XV. se refert ad apostolicum qui hodie est XV. & canone V. disertè laudat canonem antiquum, quo interdictum fuit Episcopis, ne ab uno excommunicatos alii admittant, qui hodie est XII. & XXXVI. sed hæc ad demonstrandam canoniam horum canonum sufficere possunt, quorum collectionem Nicæni concilii tempora antecessisse oportet, etsi epocha exactè definiri vel demonstrari nequeat. Equidem, David Blondellus in Pseudo-Isidoro *pag. 57.* scriptos ait videri circa annum D. 200. Quod sint velut appendices libri 8. Constitutionum, quarum sententiam de Phœnice circa an-

num

num D. 208. expressisse videatur Tertullianus *lib. de resurrectione. c. 13.* Et Dionysius Alexandrinus citavit verba A. D. 260. *ὡς Φωνῆς ἀποστολικῆς teste Eusebio lib. 7. c. 7.* Est qui, nec infeliciter fortè, conjicit, collectionem institutam fuisse, occasione controversiæ inter Cyprianum in Africâ & Firmilianum in Cappadociâ cum Stephano Pontifice agitata, de baptifatis per hæreticos numquid repetendus sit baptismus. In quâ Firmilianus Stephano nihil habuit, quod opponeret, quàm consuetudinem Orientis, cum potuisset in medium proferre, canonem XLVI. & XLVII. si compilati jam fuissent.

III. Hæc de primâ, ut videtur, collectione. Porro ante concilium Constantinopolitanum videntur initiò pauca diœceses in certâ convenisse decreta, quibus, prout res inciderit, in definiendis negociis uterentur. Satis enim constat in Ancyranâ Synodo, quæ congregabatur A. D. 314. Ancyra, Metropoli Galatiæ, è tribus diœcesibus, Orientis, Asianâ & Ponticâ *Ἐπίσκοποι* octodecim convenisse, atque XXV. canones exposuisse, qui haut alios, quàm inter quos decreti fuerant, videntur obstrinxisse. Ita Gangris, Metropoli Paphlagoniæ, A. D. 325. sedecim Episcopi Ponticæ diœceseos coiverunt. Similiter in concilio Antiocheno A. D. 431. tantùm provinciarum ad Patriarchatum Antiochenum pertinentium Episcopi convenerunt, ut patet ex Epistolâ Synodicâ Conc. Antioch.

IV. At verò post concilium Constantinopolitanum, primum sub Theodosio M. Stephanus quidam Ephesus Episcopus, ut præferebat olim vetus Bibliothecæ Palatinæ codex, quem vidit Justellus, alteram collectionem dedit, quæ Codicis universæ Ecclesiæ nomine à Justello edita, ante

*Ante concilium CPolit-
tanum existi-
tère diœce-
sium decre-*

*Codex ca-
nonum Ste-
phani Ephe-
sini Episco-
pi*

te concilii Chalcedonensis tempora exstabat, sub initium
seculi quinti. Unde Patrum canones citabat ea Synodus
& secundum illos de controversiis judicabat. *Vide Baron.*
tom. 3. Annal. anno 341. n. 34. Et A. Augustinus *lib. 1. de E-*
mend. Gratian. Dial. XI. Canones concilii Antiocheni, *in-*
quit, receptos esse constat, & in corpore Canonum positos,
ante concilium Chalcedonense, ut in ejus concilii actione
XI. apparet. Synodus etiam prima Bracarenfis *c. 17.* me-
minit Codicis canonum cujusdam. Et Toletana IV. *can.*
3. sed & Nicolaus primus & Leo IV. PP. RR. apud Gratia-
num. *c. si Romanorum dist. 19. & can. de libellis. dist. 20.* Con-
fer Burchard. in enumeratione librorum, ex quibus sua
constet collectio: Gratianum in inscriptione *Can. Hac ve-*
rò caus. 27. q. 1. & Gregorium IX. in inscriptione c. 11. de
prob. & dignit.

Confirma-
tus à Justi-
niano, &
vim legum
adeptus.

V. Hic est ille Codex, quem auctoritate Ecclesiae U-
niversae in concilio Chalcedonensi sexcentorum triginta
Episcoporum consensu Justinianus Imp. confirmat *Nov. 131.*
Canonibusque ejus vim legis, quam hactenus non habue-
rant, tribuit. Neque enim personis Ecclesiasticis tum tem-
poris ulla, nedum legislatoria potestas erat, quâ regulis suis
δύναμιν ἀναγκαστικὴν conferre possent. Verba Imperato-
ris ita habent. *c. 1. sancimus vicem legum obtinere, τῶν νόμων*
ἢ ἐπιπέχειν, sanctas Ecclesiasticas regulas, κανόνες, quae à qua-
tuor sanctis Ecclesiis exposita sunt, aut firmata. ἐκ τε δὲ νόμων, ἢ
βεβαιωθέντων. Ubi per *κανόνες ἐκ τε δὲ νόμων* intelligit illos, qui
quatuor œcumenicis conciliis expositi, id est, in formam
Canonum redacti fuerant. Per *βεβαιωθέντων* autem cano-
nes priorum conciliorum, hoc est, Ancyrani, NeoCæsari-
ensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, qui in hoc Co-
dice


Exponere
conones,
quid sit.

dice Ecclesiæ universæ continebantur, ab ipsis quatuor universalibus conciliis confirmati. Hunc postliminio reduxit græcè, latinèque Christophorus Justellus Parisiis, anno 1610. notisque luculentis, nec non eruditâ præfatione ornavit, & canonibus conciliorum Ephesini & Chalcedonensis locupletavit. Ergo non solum quatuor œcumenicorum canones, sed eorum quoque, quæ hæc præcesserunt conciliorum canones *ἐκκλησιαστικῶν* & à quatuor universalibus *βασικῶν* Justinianus confirmavit. Quod non animadvertenterunt Rittershusius & alii, qui tantum ista quatuor concilia à Justiniano probata autumant. Quod amplius demonstrari & ex canone primo Chalcedonensi potest. *Τὰς ἀπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, καθ' ἑκάστην σύνοδον ἀρχὴ τῆς νῦν ἐκκλησιαστικῆς καὶ βασικῆς κερταὶν ἐδικαιώσαντο.* *Canones, quæ à sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque constituti sunt, observari æquum censuimus.* Huic autem Codici quædam sunt addita, quæ synodus sexta enumerat, *can. 2.* Nempe canones Apostolorum XXCV. Concilii Sardicensis Canones XXI. Concilia Africa & Episcoporum quorundam epistolæ, quem auctum ita Codicem Synodus Nicæna III. confirmat. Alius ergo est Codex, de quo hîc loquimur, Ecclesiæ universalis, alius Ecclesiæ Orientalis, ex illo auctus, quem post Synodum Trullanam editum iterum Johannes Tilius Lutetiæ anno 1540. edidit, ex MS. Cto Codice Ecclesiæ Pictaviensis. Unde non erat, cur Cardinalis Perronius in responsione ad Magnæ Britannia Regem *lib. 1. c. 53.* editionem Justelli in dubium vocaret.

Diversi codices Ecclesiæ universalis alius, alius Eccl. Orientalis.

VI. Et ex hac collectione canonum Jus Canonicum, quod Pontificium appellatur, originem duxit, quæ & Ecclesiæ orientalis & occidentalis diu fuit usa. Cui Johannes

Ex collectione canonum juri canonico origo.



Joach. Ste-
phani nota-
tur.

Zonaras, & Theodorus Balsamo, verbis Conciliorum & Canoniarum epistolarum appositis interpretationes suas addiderunt. Et errat Joachimus Stephani, *institutionibus Juris Canonici, anno 1604. editis, dum lib. 1. c. 1. n. 7.* à sententiâ Isidori, originem Canonum à conciliis œcumenicis repetentis *c. canones. dist. 15.* recedit, opinans hos canones in Alemanniâ longè ante Constantinum M. fuisse receptos, hac ratione, quod in Lege Alemannorum citantur canones: sed non attenderat vir eruditus, & de jure Canonico benè meritus, Leges Alemannicas à Theodorico, Rege Franciæ auctoritate donatas. Qui sive Theodericus Clodovei F. fuerit, (quod magis probat Vir incomparabilis, Germaniæ nostræ decus æternum, Dn. Hermannus Conringius, amicus noster omni animi cultu prosequendus, *tract. de orig. juris Germ. c. 9.*) ad minimum is LXX. annis concilio Chalcedonensi posterior fuit: Sive alter ex monacho factus Rex Franciæ anno 679. Lex Alemanniæ utique corpore canonum recentior erit ducentis, & quod excurrit, annis: Concilio autem Nicæno, trecentis quinquaginta. Cæterum obtulit Balsamo, anno Domini 1191. Johanni Xiphilino Patriarchæ Constantinopolitano commentarium suum jussu Imp. Emanuelis Comneni & Michaëlis Anchiali Patriarchæ confectum. Fuit is Balsamo Patriarcha Antiochenus. *Videsis Baronium tom. 12. ad Ann. D. 1191. sect. 49.* Quem Nicetas Choniates *lib. 2.* imperii Isaaci Angeli magnæ Antiochiæ Episcopum, virum ea ætate Jctissimum appellat.

Job. Schol-
lastici colle-
ctio.

VII. Pertinet huc & Johannis Scholastici *συναγωγὴ κανόνων*, collectio canonum, quâ canones non secundum ordinem temporum, sed materiarum, in quinquaginta titulos

tulos contexuit. Erat is Antiochiæ Presbyter & Apocri-
farius, inde, pulso Eutychio, Patriarcha Constantinopoli-
tana, Justiniani Imp. tempore. Exstant ejus hodie tria ex-
emplaria MSta, unum in Bibliothecâ Vaticanâ, Heidelber-
gâ ablatum, alterum in Bibliothecâ Petri Seguerii, Cancel-
lariæ Franciæ. Tertium Christophori Justelli, ex Bibliothe-
câ Collegii Claremontani Parisiensis. A quâ collectione *Nomocanon*
diversa est ejusdem Johannis epitome, seu *Nomocanon*, *ejusdem Jo-*
quo, omiſſis integris canonibus concordantes leges, *hannis.*
vellas imprimis Justiniani ad singulos titulos adjecit, quem
secutus est postmodum Photius & alii. Huic perperam
MScum Regium titulum fecisse Θεοδοῦτος Πρωτόπυλῳς Κούρτῳς
notat Justellus.

IIIX. Porrò in Ecclesiâ occidentali idem antiquus Co- *In occidenti*
dex, cum ex veteri incerti auctoris, translatione, quæ adhuc *receptus i-*
in Bibliothecâ Vaticanâ asservatur, ut scribit Sirmondus in *dem Codex,*
censurâ Anonymi, *de regionibus suburbicariis*; Tum ex Dio- *sed transla-*
nyſii Exigui Abbatis, versione, hortatu Laurentii Ecclesiæ *tus Lat.*
Romanæ Presbyteri adornata, & Stephano Episcopo Salo-
nitano, ad quem exstat Epistola Dionysii apud Baronium,
anno 527. num. 72. dedicatâ fuit usurpatus. Vide Cassiodo-
rum *de div. lect. c. 23.* Adjunxit autem Codici Ecclesiæ u-
niversalis; quinquaginta canones apostolicos, itemque
Sardicensis & Africanorum conciliorum canones. Sed
& Pontificum Romanorum decreta, à Siricio usque ad Hor-
misdam, quas recenset Leo IV. apud Gratianum. *c. de libel-*
lis. dist. 20. & exstant in Codice canonum Moguntiæ edito.
Vide Justell. *præfat. Cod. Eccl. univ.* Hanc translationem
Hadrianus I. Pontifex R. ad regimen Ecclesiarum occiden-
taliū tradidit Karolo M. anno 773. ut docet epistola Ha-
driani

driani, quem edidit Sirmondus *tom. 2. conciliorum Gallia.* Cujus epitome ab Henrico Canisio Ingolstadii *tom. VI. antiquae lectionis*, deinde Coloniae *tom. III. conciliorum* vulgata, quam Hadrianus Papa anno DCCLXXXI. Ingelrammo Metensium Episcopo miserat. Confer Dn. Conring. *de orig. Jur. Germ. c. 14. p. 63. in f. edit. recentissima.*

- Collectiones* IX. Habuerunt & aliae Ecclesiae collectiones suas proprias, ex ejusdem Codicis vetere latinâ versione desumptas, ut Africana. Etenim Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiae Diaconus, qui sub Justiniano post Consulatum Basilii, *anno 6. qui est Christi 547.* floruit, teste Victore Tununensi, breviarium suum Canonum ex conciliis antiquo codice Ecclesiae comprehensis composuit, adjectis tantum Sardicensi & Africanis quibusdam Synodis, & epistolâ Siricii Papae ad Episcopos Africae, quae exstat *tom. 1. Conciliorum.* Est hæc Ferrandi apud Latinos collectio antiquissima. Post hanc circa finem seculi septimi Crisconii collectio prodiit, duabus partibus quarum prior *breviarium Canonum* dicitur, sensu canonum in summam contracto. Posterior verò integros canones exhibet, & inscribitur in MStis Codicibus, *Concordia canonum*, itemque *liber canonum.* Edidit hanc primus Petrus Pithoeus ex MSto Ecclesiae Tracensis, *Lutetiae anno 1588.* Ferrando suppar est Martinus Braccarenensis, cujus collectio ex Codice Ecclesiae orientalis, & nonnullis occidentalibus Synodis Hispanicis deprompta, in duas partes distribuitur, quarum prior de personis, rebus, & ritibus Ecclesiasticis agit, posterior res laicorum complectitur.
- Crisconii à Pitheo editus liber.* Habuit tamen eadem Ecclesia propriam collectionem ex Africae duntaxat conciliis compositam & in Synodo Carthaginensi sextâ approbatam, actisque insertam. Exstat apud Zona-

particularem Eccles.

Breviarium Ferrandi antiquissima collectio.

Crisconii à Pitheo editus liber.

Martinus Braccarenensis.

Codex Ecclesiae Africanae proprius.

Zona-



Zonaram p. 384. & Balsamonem p. 587. Confer Justellum, d. *prafatione*. Habuit & Ecclesia Gallicana prater corpus canonum concilio Chalcedonensi receptum collectionem propriam canonum ex Synodis Gallicanis compositam. Vide Justellum in *prafatione Cod. Eccles. univ.* Itemque Ecclesia Hispanica & Britannica. Et haftenus Jus canonum vetus obtinuit, quo usa fuit Ecclesia Catholica primis septem seculis, cum in conciliis, tum in Judiciis Ecclesiasticis.

Ecclesie
Gallicanae
corpus can.
ut & Hist.
& Britan.

X. Abhinc novum Jus veteri successit, publicatâ novâ Syllogâ Isidori cujusdam circa annum 836. qui ad veterem Codicem, canones Apostolorum adjecit cum canonibus concilii Sardicenis diversorumque aliorum Africae, Galliae & Hispaniae conciliorum canonibus, additis quibusdam, sed commentitiis, Romanorum Pontificum à Clemente usque ad Gregorium primum Epistolis. Isidori, inquam, nescio an Hispalensis Episcopi, quod jam olim creditum Hincmaro Rhemenfi *Epist. 7. c. 22.* Ivoni, decreti *part. 4. c. 107.* Trithemio in *Scriptoribus.* Vincentio *historiarum lib. 23. c. 31. & lib. 25. c. 84.* Antonio *part. 3. hist. tit. 1. c. 6.* Antonio Possevino *appar. sacro tom. 2. p. 291.* Ildefonso Toletano *lib. de viris illustribus.* Nominat se autor in libris veteribus Isidorum, modo Mercatorem, modo Peccatorem. Quod si fides habenda esset chronico Juliano Toletani, quod edidit Laurentius Ramirez, haberemus Isidorum Mercatorem, Episcopum Setubensem, (hodie Xatipha dicitur, urbs Hispaniae) qui ope Monachi cujusdam Benedictini compilationi operam dedisse dicitur, & obiisse anno 805. Quisquis fuerit vix est, ut Hispalensis ille Episcopus fuerit. Hic enim A. D. 636. vita functus fuit, ut

Jus novum
Canon.

Collectio I-
sidori.

Mercato-
res, an pec-
catores.

B

docet

docet Redemptus Diaconus in ejus vitâ. Compilator verò
Non certè non modò concilii Toletani XI. ab obitu Hispalensis tri-
Hispalensis. ginta novem annis, & sexti Oecumenici *A. D. 681.* ab obitu
 ejusdem 46. annis celebratorum meminit: Sed & Grego-
 riorum II. & III. Zachariæ, Bonifaciique Moguntini, qui
anno 755. obtruncatus fertur Baronio, verbis utitur, Qui-
 bus fortissimis convictus rationibus Bellarminus *de Pontif.*
R. lib. 2. c. 14. epistolas ejus compilationis non audet genui-
 nas affirmare. Et Baronius *ad annum 865. §. 8.* eas apertè
 abjudicat Isidoro, quidquid ad rabiem usque Turrianus Je-
 suita pro eis asserendis sæviat. Quid? quod Dionysius Exi-
 guus nullam facit mentionem Isidorianæ collectionis E-
 pistolarum, ut ut suæ canonum collectioni Epistolas De-
 cretales Pontificum Romanorum adjecerit: Sed nec apud
 Leonem & Gelasium mentio earum exstat, qui tamen fre-
 quenter epistolas prædecessorum suorum laudant. Sed &
 prolixè id demonstravit David Blondellus in Pseudo Isido-
 ro, Adi & Dn. Conringium, amicum nostrum, *tract. de o-*
rig. Jur. Germ. c. 16. p. noviss. edit. 77. Hic primus epistolas
 priscis Pontificibus à Clemente inde mangoniâ fraude sup-
 posuit. Quem *Ἐπιβολία* secuti reliqui compilatores fue-
 runt. Vide Marsil. Patav. *defens. pac. c. 2. c. 28.* Nicol. Cu-
 san. *lib. 3. de concord. c. 2.* Ant. Contius *in annot. ad dist. 16.*
c. Septuaginta. Centur. Magdeburg. *cent. 2. c. 7.* Blondell.
Capitula Pseudo-Isid. *proleg.* Huc pertinent Capitula Ecclesiastica
Karoli, Lu- Karoli M. Ludovici & Lotharii Impp. ab Ansegiso & Bene-
dovici & cto Levita collecta ejusdem ferè ætatis. Et quidem colle-
Lotharii. ctio Canonum operâ Albini seu Alcuini & Paulini Episco-
 porum habetur apud Ansegisum *lib. 1.* Et in celeberrimæ
 Academiae Juliæ Bibliothecâ exstare manuscriptam testatur
 divi-

divinarum, humanarumque rerum scientissimus Dn. Hermann. Conringius tract. de origin. Jur. Germ. c. 24. pag. 61. ed. nov. ff.

XI. Postidea Photii Nomocanon locum vindicabit. *Photii Nomocanon.*
Floruit Photius Nicolao I. & Hadriano II. Pontificibus, imperante in oriente Basilio Macedone, in occidente Karolo Calvo. Quem Zonaras appellat ἀνδρα τῶν ἐπισημῶν πρωτοασηκρήτης τότε τυγχάνοντα ἐν λόγοις ὀνομαστέον. *Virum insignem primum à secretis tunc ob eruditionem celeberrimum.*
Maximi autem iste fuit Nomocanon totiusq; canonicæ disciplinæ elementa continere creditus, quem jussu Emanuelis Comneni Imp. & Michaelis Anchiali Patriarchæ Constantinopolitani Theodorus Balsamon commentariis perpetuis illustravit. Secuta est alia collectio canonum Burchardi, Wormaciensis Episcopi, quem Itali Brocardum appellant (*Et inde Brocardica volunt dicta, id est, regulas canonicas, quas Damasus vetus Juris Canonici Doctor conscripsisse dicitur, & Petrus Salunus Aquilius recognovit ex Manuscriptis exemplaribus, qui in præfatione libelli ita scribit: Burchardica inscribuntur à Burchardo Episcopo Wormaciensi, qui primus ea tempestate cœpit jus Pontificium ad generales quasdam theses revocare. Ex Gallis atque Italis plerique originationem verbi ignorantes, corrupte Brocardam & Brocardum appellant. Sane Burchardica ejusmodi regulas non dubitat appellare Cujacius in præfatione ad consultationes suas*) Ottonis III. & Henrici IV. Bavari Imp. temporibus. A. D. ut habet Sigebertus 1008. continens libros viginti, secundum ordinem non temporum, sed materialium distributa. Quibus supposititias primorum Pontificum Epistolas, cum selectis ex Augustino, Hieronymo, Gregorio

gorio & Isidoro locos adjicit. Vide Censores Gregorianos, *prefatione recognitionis sua* & P. Gregor. *partit. Jur. Can. tit. 1. n. 12.* Habetur ejus epistola formata *can. 1. dist. 73.*

*Compilatio
Ivonis Carno-
tensis.*

Panormia.

*Synops. Ca-
nonum Ale-
xii, Ariste-
ni, Simonis
Magistri,
Arsenii,
Matth. Bla-
saris. &c.*

*Compilatio
Gratiani.
Quis ille
Gratianus.*

XII. Sequitur compilatio Ivonis Carnotensis Episcopi, quam ad Ecclesiæ Gallicanæ usum circa annum MC. publicavit, qui duas fecit collectiones Canonum & Conciliorum, additis etiam legibus civilibus quibusdam, quarum altera Pannormia dicitur, seu ut quidam volunt, Pannormia, quod omnes complectatur leges. A Possevinus *appar. sacr. tom. 2.* Altera Decretum inscribitur, quam posteriorem quidam Hugoni Catalano tribuunt Ivonis Epitomatorem. P. Gregor. *partit. d. l. c. n. 13.* Adeoque exemplo Johannis Scholastici & Photii, Nomocanonis instar, Jus civile cum Canonico comparare voluit, Sunt & compilationes aliæ apud Græcos Alexii Aristeni Diaconi Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ inscribitur Synopsis Canonum: Simonis Magistri ac Logothetæ Epitome Canonum: Arsenii Monachi Hierosolymitani & postea Patriarchæ Constantinopolitani Synopsis canonum. Matthæus item Blastares Monachus, & Constantinus Harmenopolus. Apud Latinos collectio Anselmi Lucensis, Deus dedit, Cardinalis, qui *A. D. 1087.* scripsit, Gregorii Presbyteri, qui opus suum *Polycarpum*, inscripsit.

XIII. Quinta collectio Gratiani fuit Monachi S. Felicis Bononiensis, aliis S. Proculi, aliis S. Felicis & Naboris, familiæ Benedictinæ, natus Classæ, vel Clusis, Civitate Thuscianæ Arnoldus Duacensis Monachus in libro, quod lignum vitæ inscripsit, Gratianum Clusis natum Monasticam S. Proculi professum & inde ad Felicis & Naboris transgressum, Decreta compilasse scribit. Ad. & Sigon. *lib. 1. de Episcop.*

scop. Bonon. tempore Eugenii III. Pontificis Anno 1151. ut habetur in chronico Vaticanæ Bibliothecæ, quod Pomœrium Ecclesiæ Ravennatis inscribitur. Confer Hugutionem, Interpretem antiquum ad c. post appellationem ad s. forma c. 2. quæst. 6. Criticos Gregorian. dicta præf. Felin. c. 2. n. 43. de rescr. Quod verò Trithemius lib. 2. de Vir. illustr. ad annum D. 1127. compilationem refert, id de inchoatione operis fortassis intelligendum. Titulum huic compilationi fecisse videtur Gratianus; *Concordantia discordantium Canonum*, quamvis in quibusdam Exemplaribus *Decretum* appelletur. Vid. Anton. August. de emend. Gratian. Dial. 1. & Criticos Gregorianos præf. suâ. Hujus Gratiani memoriæ Bononiæ apud D. Petronium ad Sacellum D. Sebastiani hæc exstat inscriptio.

D. O. M.

Gratiani Clusini, Cæsarei juris & Pontificii enucleatoris propè divini, qui Monachus in martyrum Felicis & Naboris æde absolutissimum ibidem opus Decretorum anno gratiæ M. C. LI. compilavit, monumentum, quod illic carie obsor- *Opus ejus, decretum.* duerat, hic magnificentius renovatum est. Joan. Franciscus Aldrorandus Bononiensis I. V. Dictator ære publico instauravit. Anno Salutis 1498. Idibus Junii Joanne Bentivolo U. P. P. rempublicam feliciter gubernante.

Et in æde S. Felicis, ubi Gratianus edidit opus Decretorum in saxo verusissimo, quod nunc in sacrario reconditur, hi versiculi leguntur:

Hunc ave partem Lector reverenter adito
Namq; loci monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus quantumlibet arcto
Contentus septo, quod reparando caducum
Et vetus hoc claustrum, tolli fuit inde necesse.

B 3

Id

Id tamen Abbate constructum est Bartholomæo
Mille trecentis decies septem atque quaternis
Annis à Christo, pura de virgine nato.
fertur hic Gratianus vulgo quæsitus fuisse. Vide Ant. p. 3.
tit. 15. c. 6.

XIV. Et hæc collectio canonum constituit hodiè pri-
mam Canonici corporis partem, & prior est omnibus Epi-
stolarum decretalium compilationibus: Cujac. c. ult. x. de
sent. & rejud. Alb. Gentil. diss. de Jur. Can. c. 1. Hinc In-
terpretes veteres, Alanus, Vincentius, Tancredus, Lauren-
tius & cæteri, cum capita referunt collectionis Gratiani,
utuntur voculâ *supra*, innuentes, post Gratianum volumen
collectionem aliam supervenisse. Sequuntæ sunt itaque
hanc Decretorum collectionem, & Decretales Epistolæ,
quas Episcopi consultantibus rescripserunt! Primus eas
concessit Bernardus Circa, Præpositus Papiensis, & post E-
piscopus Faventinus, primus ex tribus Bernardis, Jure Ca-
nonico Claris, quorum alter Parmensis, alter Compostella-
nus. Cujac. c. 1. ext. *Qui cler. vel vovent.* Approbata hæc
fuit collatio tempore Alexandri III. Hanc compilationem
hodie non haberi ait Johannes Andreæ filius c. 7. de Cleric.
conjug. sed edidit tamen eam Antonius Augustinus.

*Inde secuta
Decretales.
Decretaliū
compilator
primus.*

*Compilatio
Gilberti &
Alani.*

XV. Porro subinde novis è sede Apostolicâ constitu-
tionibus prodeuntibus mox aliud volumen edidit Gilber-
tus Abbas, & Alanus quidam, Episcopus Antisiodorensis,
sed nomen præripuit his Johann. sive Gallensis, sive Vallen-
sis, Volaterranus, cujus liber, *secunda*, sive Alexandri IV.
compilatio audit; Vid. Platinam in Vit. Alexandri IV. &
Joh. Andreæ *proœm. addit. ad Speculat.* Alb. Gentil. de li-
bris *Juris Canon.* p. 7. Prodiit XII. annis à prima, eorun-
dem.

demque Pontificum rescripta collegit, itemque Coelestini III. iisdemque mox addidit Scholia quaedam. Interpretes hujus compilationis fuere Hugo Ferrariensis Episcopus, cujus frequens apud Innocentium III. fit mentio & Bernardus Major Compostellanus, Archidiaconus, & ait A. August. Vincentii Tancredi Alani, Laurentii, & aliorum se scholia vidisse.

XVI. Post hanc coeperat aliam idem Bernardus Compostellanus ex registris Innocentii III. eaque aliquando Romana compilatio dicta. Sed Romani indignè ferentes, quòd ab usu remota referret, ab eodem Innocentio impetrarunt, ut Pontificiâ auctoritate alia collectio ederetur. Cui rei Petrus Beneventanus notarius praefectus est, anno 12. ejusdem Pontificis. Joh. Andreæ, *c. 6. de con. prob. Cujac. c. 2. de sponsalibus & tit. de Conj. Serv.* Et hæc prima publicâ facta auctoritate collectio est. Cujac. *c. 24. extr. de spons.* Nec valebant fidemve faciebant, nisi ab Scriniariis Romanæ Ecclesiæ comprobarentur, Ant. Aug. *præf. collection. antiq.* Ejus interpres fuit Paulus Hungarus ut Ioannes Andreæ habet.

*Bernardi
Compostel-
lani compi-
latio.*

*Petr. Bene-
ventani.*

XVII. Quarta compilatio ejusdem Innocentii est, qui, quum in concilio Lateranensi septuaginta unum edidisset capita, sed & illo quinquennii spacio post tertiam collationem aliquot constitutiones, duplex inde editio exstitit, altera canones ejus duntaxat concilii continens, altera alias quoque constitutiones. Ejus Interpres Vincentius fuisse dicitur. Sed ait Augustinus se Ioannem Iacobum & Robertum seu Rogerium legisse. Usus harum decretalium adhuc commendatur Doctoribus, ut absque his vix quenquam posse bene Interpretari jus canonicum Cujacius

*Compilatio
Innocentii.*

Collect. Honorii III. jacijs adfirmet alicubi, nec non A. August. præfatione ad eas, & in primis A. Gentil. *de Jure Canonico* c. 3.

XVIII. Quinta Collectio Honorii III. constitutiones habet, à Tancredo Bononiensi Archidiacono collectas, sub ipsius Pontificis nomine, cujus Interpres fuit Jacobus Albanus, Faventinus Episcopus, Henrici Ostiensis Præceptor. Hostiensis *Proœm. summ. n. 10.* ut tradit Augustinus. Diu hæc Compilatio quæsitâ ac desiderata fuit. Eam nondum editam ait Alb. Gentil. *de lib. Jur. Can. p. 9.* Quam tamen Cujacius & Contius habuère. Vide Cujac. *c. 28. de sponsal. c. 17. de for. comp. c. pen. de frig. & malef. c. 63. de appell.* Causam hujus raritatis videtur Joan. Andr. indicasse. Ait enim Gregorium IX. successorem Honorii statim initio Pontificatus sui de suâ compilatione cogitasse. Ita pressa fuit Honoriana. Tandem inventa est in bibliothecâ veteri Albiensi ab Innocentio Cironio, Academiæ Tolosanae Cancellario viro doctissimo & Tolosæ anno 1645. edita cum eruditissimis notis.

XIX. Ultima est Gregorii IX. qui ceu Cujacius ait *c. ult. de sent. & re jud.* ut aliquid in ea poneret de suo, ex Jure Civil. ultrò, non aditus à Consultoribus ullis, pleraque sumsit & inseruit, quò fit, ut in ejus constitutionibus plerumque nemo inscribatur, ad quem Constitutiones dirigantur: Prodiit A. C. 1230. operâ Raymundi de Penna forti Capellani & Pœnitentiarii Pontificis. Vid. *Proœm. Decret. Gregor. vers. ad Communem.* Qui postea à Clemente VIII. d. 29. Aprilis Anno 1601. sanctorum numero receptus & canonifatus est. Joh. Bapt. Vivianus *ad Proœm. Decret. Greg.*

Bonifacii VIII. decretales.

XX. Ab hac compilatione Pontifices sequentes cessarunt aliquandiu novis Constitutionibus edendis, donec sub
an-

annum Christi 1300. Bonifacius IX. partim suas, partim aliorum superiorum Pontificum qui inter ipsum & Gregorium IX. intercesserant, nec non ipsius Gregorii novas constitutiones, ac præcipuè duorum generalium conciliorum Lugdunensium, quorum alterum sub Innocentio IV. Anno 1245. alterum sub Gregorio X. A. 1273. celebratum, decreta, totidem libris, eodemque prorsus ordine, quot & quo ipse Gregorius usus fuit, adjecit. Multa, quæ ante in Scholis & in judiciis ambigua declarasse dicitur Henrico Stereoni p. 403. tom. un. scriptor. German. à Frebero editorum & Henrico à Rebdorf. p. 417. Hæc compilatio facta per Gvilielmum Archi-Episcopum Ebrodunensem & Berengarium, Episcopum Biterensem, ac Magistrum Richardum de Senis, S. R. E. Vice-Cancellarium, quorum fit mentio in præmio libri VI. Decretalium. Meminit & Richardi, tanquam auctoris hujus compilationis Albericus de Rosate l. ult. C. de feriis. Cui etiam Dynum superfuisse tradunt. Vide Catell. Cott. Memorab. Citatur à Baldo in tit. de pace Constant. nomine Novellarum. Alb. Gentil. d. c. 1. pag. 11. Hæc compilatio in Galliâ non est recepta, quod, quæ in eâ existent constitutiones pleræque in odium & amulationem Philippi Francorum Regis editæ & in Romanæ Aulæ quæstum excogitatæ credantur. Duaren. præf. lib. de Sac. Eccl. min. Cujac. c. ad audientiam. 4. de sponsal. & matrim. Cluten. syll. rer. quot. eb. 6. lit. b. Ferre enim Rex non poterat, majestatem suam & Regni à Pontifice immiui. Papa enim Regem anathemate non tantum percussit, sed sibi subditum in rebus civilibus scripto denunciavit, eamque sententiam editâ Extravaganti confirmavit, anno ultimo Pontificatus. Cui successor Clemens V. derogavit.

C

vit.



vit. c. meruit. de Privileg. in Clementin. Vide Henricum Spondanum.

Clementinae

XXI. Mortuo Bonifacio Clemens V. Gallus è Vasconiâ, diœcesis Burdigalensis eodem ordine servato constitutiones concilii Viennensis anno 1311. celebrati, unâ cum cæteris constitutionibus, decretalibusque edere animatus, sed morte præventus fuit. Itaque curante successore Johanne XXII. anno 1320. prodierunt quæ Clementinarum appellatione citantur. Confer Henricum Stereonem annal p. 405. Et hæc octava est collectio. Martin. Polon. in Clem. V. Glossa in præm. Clement. Has glossas exposuit Johannes Andrea Bononiensis.

Extravagantes.

XXII. Paulo post Clementem V. Johannes XXII. Cadurcensis Aquitanus suas quoque edidit decretales, ordine decretalium Gregorianarum observato, quas Extravagantes appellant. Cujacius in cap. ad audientiam. 4. de spons. & matrim. Johanninas vocat. Quas commentario illustravit Zenzelinus de Cassanis, seu Gezellinus, vel Jesselinus de Cassanchis. Johanne autem defuncto diversæ diversorum Pontificum, annorum plus minus 150. prodierunt Extravagantes, usque ad Sixtum IV. quæ quod unum auctorem non habent, allegari solent Extravagantes communes. Horum aliqua cum glossis Johannis Monachi Picardi Cardinalis, aliæ cum commentariis Gillermi de Monte Lauduno & Johannis Francisci de Paviniis sunt vulgatæ. Summam harum à Gregorio IX. usque ad Sixtum V. edidit Petrus Matthæus Lugduni, anno 1588. Integras autem Laertius Cherubinus J. C. us collegit, & titulo Bullarii promulgavit. Exstat etiam compendium à Gregorio VII. ad Paulum V. Jacobi Castellani, Clerici Tarvisini, & summa Bullarii,

larit, quæ post juris Canonici libros à summis Pontificibus emanarunt, autore Stephano Quaranta, cum additionibus Prosperi de Augustino. Itemque Johannis Baptistæ Scortia in selectas Pontificum constitutiones epitome ac theoremata. Denique anno 1590. operâ Petri Matthæi prodiit liber septimus Decretalium apostolicarum post sextum, Clementinas, & Extravagantes editarum continuatio.

XXIII. Et hætenus de jure Canonico novo seu decretalibus: Quod si quæras quid intersit inter antiquos Canones, & istud novum decretaliū jus, multū interesse equidem nemo ibit inficias: Notatu dignum est, judicium Francisci Duareni: *In eo decretalium volumine, inquit, multa intueri licet, quæ à prisca illa disciplina, quam Decretorum liber à Gratiano editus continet, multum degenerent. Atque hinc natum est illud apud nostrates tritum ac vulgò jaclatum: Male cum rebus humanis actum esse, ex quo decretis ala creverint. Quo enim tempore conscriptæ sunt illæ Epistolæ, quibus Pontifices Romani de jure consulentibus, more veterum Imperatorum respondebant, causæ Ecclesiasticæ antiquam simplicitatem jam amiserant, erantque hujusmodi, ut ad eas dirimendas atque definiendas 7. Cti & Pragmatici adhiberentur. Hætenus Duarenius. Et ut aliquando explicatius dicamus, jus novum ab antiquo in eo quàm latissimè discessit, quod*

*Quid distet
jus canonici-
cum novum
à veteri?*

*Supra pote-
stas Synodis
adempta.
Ad Pontifi-
cem delata.
Cum juris-
dictione.
Disceptatio-
nes forenses
nate.*

Inde tot rescripta de iudicibus delegatis, de officio iudicis ordinarii, de dilationibus, exceptionibus, sententiis, appellationibus, totoque iudiciorum ordine. Quae omnia novis constitutionibus introducta & magnam partem in formulis actionum & tritura fori occupantur.

Politia ecclesiastica nova per separationem beneficiorum ab ordinatione capit.

XXIV. Porro ex beneficiorum ab ordinationibus discretionem nova Ecclesiastica Politia facies exorta est. Cum autem iure canonum, & quidem Canone Concilii Chalcedonensis nullus ad Clerum adscisceretur, quin ad certam Ecclesiam certoque ordinum gradu adscriberetur, adeo ut manus impositionem sequeretur adscriptio in Canonem seu matriculam Ecclesiae, id postea in solis Episcopis servatum, in reliquis ordinibus neglectum est, ita, ut absque titulo Ecclesiae ordinentur Clerici. Et quamvis Concilio Lateranensi vetitum fuerit, ne Clerici ordinentur absque titulo, saltem patrimonii, ne sic tamen vetus disciplina est restituta, quae Clericos per manuum impositionem suis Ecclesiis addicebat. Intromissa hac ordinationis separationem, a beneficiorum collatione, jam nova materia & seges juris Canonici enata est, de beneficiis adquirendis, conservandis, amittendis, quae ferè utramque paginam novi juris Canonici faciunt.

Causae matrimoniales ad forum ecclesiasticum arctatae.

XXV. Porro Matrimoniorum causae prohibitionibus novis ad conservandam publicam ut videbatur honestatem arctatae, ad solius Ecclesiae revocatae cognitionem, & formulis forensibus adstrictae in novam juri Canonico messem adolevere. Veniae temperamentaque excommunicationum & poenitentiarum publicarum jure antiquo introductarum novis constitutionibus adinventae novas genuerunt juri Canonico species. Monachorum insuper
aliae

aliæ atque aliæ subnata familia, religiosarumque domuum surgens multitudo novas regulas & instituta novamque legumlationem poposcerunt. Et ut finiam, Exemptiones monasteriorum & capitulorum Canonicorum ab Episcoporum jurisdictione, privilegiaque varia illis concessa, varias causarum figuras à Pontificibus disceptandas præbuerunt, ut scitè & prolixè differit Petrus de Marcà Archiepiscopus Parisiensis. Ex quibus facile discrimen novi ab antiquo jure canonico elucescit.

Novi Monachorum ordines. Exemptiones Clericorum

XXVI. Videamus jam de juris Canonici auctoritate & usu, cum in universum tum quantum ad nos attinet, qui ab Ecclesiâ Romanâ secessum fecimus. Et sunt sanè non parum multi qui in absurditatibus, vanitatibus & erroribus hujus juris, tanquam ulceribus, assiduè nimisque acriter exercent unguës. Quorum censuras si congerere velimus, sanè prodiret nobis ingens

Juris canonici errores

Telephus, & summi plenâ jam margine libri scriptus & intergo, nec dum finitus Orestes.

Videat, qui volet, Henricum Cornelium Agrippam, armatæ militiæ equitem auratum, utriusque Juris ac Medicinæ Doctorem, operum parte posteriori, c. 92. Carolum Molinæum & Eberhardum à Weihe, editis utrumque de hoc argumento orationibus. Lutherum tom. 1. Jenensi fol. 355. Et in sermonibus mensalibus passim. Hotomannum in bruto fulmine, Innocentium Gentiletum lib. 5. Exam. Concilii Tridentini. Joh. Barclajum examine Bellarmini potest. sum. pontif. in temporalibus. p. m. 6. Contium præfat. editionis Decretalium: Et alios plures, quos vel nominando operæ pretium perditum iri vereor, quippe qui ejus & necessitatem & summam utilitatem etiam in reformatis Ecclesiis

qui notant.



scholis, atque judiciis, vitæque politica agnosco lubens
& merito, cum eodem Eberhardo à Weihe *dictâ Orat. &*
Cluten. diatribâ de auct. Jur. Can. p. 49. & seqq.

*Canonum
ab initio
auctoritas.*

XXVII. Ad rem. Quod attinet itaque auctoritatem
Juris Canonici, fuit ab initio, quo coeperunt ordinis atque
decõris in Ecclesiâ servandi gratiâ certi canones condi, non
alia aut major eorum auctoritas, quàm decretorum quibus
collegia & corpora socios sibi suos adstringunt. *l. 4. C. de
Colleg. & Corp.* Ex quo verò accessit confirmatio Impe-
ratoris Justiniani, Codicem canonum confirmantis, atque
canonibus vim legum tribuentis, utique jus propriè dictum
existere coeperunt, in quantum potestas legislativa Justi-
niano fuit. Et quia conciliis, quæ post quatuor illa œcu-
menica fuere, non tantum interfuerunt, sed & præfuerunt
*Decreta cõ-
ciliarum.* Imperatores Romani, vel ipsi, vel eorum vice quos ipsi vo-
luerint, oportet, & eorundem decreta conciliarum Le-
gum vim obtinere, etsi à privatis compilata, quia vim & au-
toritatem non à collectore, sed ab ipso concilio & Impera-
toribus habent, quam amittere nequeunt, quocunque co-
dice collocentur, atque à quocunque scribantur. Quare
non solum Johannis Scholastici, Photii, Blastaris, Harme-
nopuli, sed & Latinorum, Dionysii Exigui, Martini Braca-
rensis, Fulgentii Ferrandi, Isidori & denique Gratiani colle-
ctiones, quatenus continent canones è Codice Ecclesiæ uni-
versæ, aut decreta conciliarum œcumenicorum, aut ortho-
doxarum Synodorum, auctoritate Imperatorum celebra-
tarum, vim legis Ecclesiasticæ obtinuerunt, & quæ hodie in
Ecclesiâ Romanâ statuuntur, adhuc auctoritatem à Pontifi-
ce Romano habent. Confer. *Alciat. 4. parerg. 23. Alb. Gen-
til. de jure Canon. c. 2.*

XXIIX. Utrum verò Gratiani collectio, seu corpus illud Decretorum, secundum omnes sui partes, atque adeo & ea, quæ de suo Gratianus addidit eandem vim ac potestatem habeant, non adeo certum est. Et de canonibus & synodorum decretis jam diximus. Quid verò de legibus Imperatorum, quas inseruit hinc inde? An amplius quid per id consecuta, quod in decreto relata leguntur? Ita ut non jam solo legislatoris arbitrio, sed & ut jus canonicum valeant? Responderi solet, non omnes, quæ per Gratianum transcriptæ sunt, sed illas solas leges juris canonici potestate valere, quæ canonibus & constitutionibus Ecclesiæ sunt insertæ, & ut ait Capolla, *de cogn. lib. jur. can.* si lex posita est in medio unius capituli, censetur canonisata. Non enim per hoc lex civilis canonisatur, quod posita sit inter canones, vel libro decretalium ac decreti. *gl. c. 1. in gloss. 2. de Except. gl. c. super eo. & ibi Panor. in f. de Testib.* Vide Iason. *in l. 1. n. 43. C. de Summ. Trin. Canis. sum. Jur. Can. lib. 1. tit. 1. Job. Franc. à Ripa ad cap. ex parte 2. de rescript. n. 80.* ait leges, quas Gratianus inseruit decretis, dici non canonisatas, sed simpliciter registratas. Canonisata autem à Pontificibus dicitur, quando in canone reperitur incorporata. Abb. Panor. *ad cap. Ex parte 2. n. 9. de Rescrip. Ph. Decius d. lo n. 1. & 2.* Quibus consequens est, ut si lex canonisata ab Imperatore, ea tamen jure canonico maneat valida. Decian. *tr. crim. lib. 2. c. 18. n. 22.* Quam verò & quot leges sint canonisatæ otiosis colligendum relinquimus. Quasdam tantum consignare contenti. Et quidem

Ex

Ex Pandectis.

L. Concussionis. 2. ff. de concuss.	}	in	{ can. concuss. c. 1. q. 1.
L. Lege Juliã. 3. cum l. seq. de L. Jul. Rep.			{ can. Lege Juliã. pen. c. 1. q. 1.
L. 1.	}	in	{ can. infames. c. 3. q. 7.
L. cui. 3. S. ad finitares. 1. ff. de postulando.			{ can. si testes. c. 4. q. 2. & 3.
Tot. tit. de testibus.			{ can. aut facta. 19. de pœnit. Dist. 1.
L. aut facta. 16. ff. de pœn. excepto. §. 9. & 10.			

Ex Codice.

Tit. si contra jus & utilit. publ.	}	in	{ Can. dicenti vers. prescrip- tione cum seqq. caus. 25. q. 2.
L. sancimus. 3.			
L. si qua. 4.			
L. Universa. 7. usq. ad S. pragmatikas. 1. C. de divers. resc.			
Multa LL. Cod. de testibus.	}	in	{ Can. si testes. c. 4. q. 2. can. anteriorum legum. c. 2. q. 7.
Novell. 23. de Appell.			
Nov. 123. cap. 21.			{ can. de personã. vers. si quis contra. caus. 1. q. 2.

Ex authenticis.

Aurb. Ingressi.	}	Cod. de SS. Eccles. in	{ can. Quia ingredientibus. c. 19. q. 3.
Si qua mulier.			
Hoc jus porrectum.			
Sicut.			{ can. Ea enim. vers. Hoc jus porrectum. & seqq. usq. ad finem. c. 10. q. 2.
Item pradium.			
Sed & permutare.			
Item sibi invicem.			
Perpetua.			
Qui rem.			
Si quas ruinas.			
Qui res jam dictas.			
Offeratur.	{ C. de lit. cont. in can. Inducia. §. offeratur. & §. libellum verò. c. 3. q. 3.		
Libellum verò.			

Quod

de origine & libris nec non auctoritate J. Can.

Aub. Quod fieri. C. de dilat. in Can. Inducia. §. quod fieri. c. 3.

Si servus. C. de Episc. & Cl. can. si servus. 20. dist. 54.

Credentes. C. de heret.

cap. Excommunicamus. 13. §.

credentes. ver. nullus pre-
terea. x. de Hæreticus.

XXIX. Quod attinet verò ad dicta Patrum, ea non sunt legum instar, nisi decretalibus expressè comprobata. Neque enim Patres condendi legem potestate fuere præditi, neque hoc animo scripserunt, neque Gratianus quod non ex se habuerunt, id eis largiri potuit. Quâ ratione rectè statuitur Innocentii Commentarios pro lege habendos non esse, quia nec eo sed interpretandi animo scripsit, itaque & reprehendi, ut quivis interpret alius potest. Alber. Gentil. pag. 20. Tandem & de Gratiani dictis propriis videndum. Ea vim legis non habere, exploratum est. Et à suo Glossatore audire subinde cogitur: Superficialis est argumentatio Magistri. gl. c. 2. dist. 68. & in c. 7. c. 2. q. 3. Fateor plane, te mentitum Gratiane, & alia hujus generis elogia. Vide Felin. c. 2. de rescript.

XXX. Sed numquid Decretum ab aliquo Pontificum Romanorum in vim juris seu legis Canonice confirmatum fuit? Variant sententia. Trithemius in vitâ Gratiani Tom. 3. q. 3. art. 2. Sylvest. summâ, voce Lex. n. 13. §. multa. ut & chronico Hirsaugiensi p. 184. approbatum ab Eugenio III. perhibet. Idem asserit Maranta in pr. dist. 3. n. 34. dici scilicet approbatum ab Eugenio, sic quoque Cardinalis Tuschus tom. 2. lit. D. conclus. 110. n. 2. Qui tamen n. 1. ait, id comprobatum fuisse & confirmatum à Sixto III. & addit n. 3. quod hodie sine dubio probet, quia Gregorius XIII. illud approbaverit, dum in Bullâ suâ impressoribus concessa, illud

illud cum Decretalibus, Sexto & Clementinis appellet corpus juris Canonici. Quod etiam contra Gretserum contendit Goldastus *Repl. pro Imperio. p. m. 132.*

XXXI. Sed plerisque videtur expressâ Pontificis alicujus sanctione id non esse confirmatum. Vide Ant. August. *Emend. Gratiani lib. 1. c. 1. & lib. 2. c. 9.* Neque enim existare confirmationem istam, nihilque de eâ in editione Romanâ sub Gregorio XIII. editâ. Francisc. Florens *præfat. p. 7.* Vide & quæ notat Joh. Andrea ad citatum Durandi locum, ubi addit, approbatum fuisse quoad compilationem, non quoad dicta Gratiani. Quia tamen in scholis & forerè omnium nationum Christianarum receptum fuit, hætenus saltem valere. Vide Præpositum Alex. *primo proæm. Marantam præxi dist. 3. n. 34.* Felin. *num. 39. de Rescript.* Alber. Gentil. *de lib. Jur. Can. c. 2.* Arthur. Dyck. *de auct. Jur. p. 104.* Zoel. *parat. Jur. Can. præf. n. 10.* A. August. *præfat. in can. poenit.* Et in scholis plenam fidem facere, ut ait Panormit. *ad c. 2. de Rescript.* Nisi quatenus contineat rubricas & paleas. Vide Joh. And. *in addit. ad Specul. §. finit. de disput. & attest.* Quod attinet enim rubricas, ita censet Durandus *lib. 2. Speculi part. 2. dist. & alleg.* Rubricas juris civilis, & Decretalium esse authenticas & jus facere, secus autem in Rubricis Decretorum, tum quia alius fuerit conditor Decretorum & alius earum, tum quia illæ quandoque falsæ reperiuntur. Id quod & ante Durandum notavit Azo *ad tit. C. Ne fidejuss. dot. dent.* Eadem habet & Panormitan. *in proæmio Decretalium.* Ergo quoties de horum canonum vi & potestate agitur recurrendum ad originem & fontes, unde manarunt. Alio enim jure censeris, quæ ex conciliis, alio, quæ ex constitutionibus Pontificum,

cum, alio, quæ ex dictis Patrum. Denique multa ex incertis & supposititiis scriptis inseruisse Gratianum, quæ occasionem dederint ejus emendandi. Francif. Flor. *pref. p. 7.* Et quidem ante Ant. Augustinum & Romanos censores id Antonius vidit Demochares. Prolixius autem Ant. Contius in suâ præfatione demonstravit, quam ideo castravit Antverpiensis censor. Quo de Contius conqueritur *lib. 1. subf. lect. c. 10.* supersunt tamen vestigia hujus mutilationis in fine præfationis secundæ Contii, in quâ profitetur, commentitia plurima & apocrypha Gratianum admiscuisse. Quod & repetit in notis *ad can. Septuaginta. dist. 13.* & ad inscriptionem *can. 2. dist. 21. Ibi: Idem Anacletus.* ubi allegatur Contius, majorem probationem requirens: Quam verò præstiterat in suâ præfatione, sicut ostendunt notata ab eo *ad can. judicantem. u. c. 30. q. 5. Fr. Florens, Antecessor Aurelianensis d. 10.*

XXXIII. Porro in hoc Decreto reperiuntur quædam capita, quæ Paleæ inscribuntur, quo de nomine opiniones variae: Aliis quasi τὰ παλαιὰ, antiqua seu antiquata, παλαιῶν nomine celebratur Interpres quidam antiquus Digestorum, Codicis & Institutionum, quem ætate Justiniani vixisse Godofredus censet. Vide *Josepb. Mariam Svaesium in notit. Basil.* Aliis δὲ τὰ παλιν, rursus: Alii, quod quemadmodum Paleæ ad grana viles sint, sic capita illa omni pondere careant. Et hanc notam ab Eugenio III. Pontifice adscriptam, cui Gratianus compilationem suam addidit, scribit Gilbertus Regius *concil. lib. 1. c. 24.* Et confirmat Andr. Alciatus *12. parerg. 3.* ex more loquendi ejus seculi vulgari, quod quasvis res nullius momenti paleas appellavit. Sunt qui ferant, nomen esse proprium alicujus, quem Cardinalis

Alexandrinus *proem. decret.* Procopaleam, Jason. *Rubr. Inst. de act. n. 12.* Quotopaleam, Critici Gregoriani *Protopaleam* appellatum volunt. Et his capitibus à plerisque omnis auctoritas abjudicatur. Vide Capoll. *de cognit. lib. jur. Can. Martani de Jurisd. p. 12. 30. n. 35.* Curt. Jun. *tract. de feud. p. 1. q. 1. n. 3.* Catell. Cott. *de JEsis, Hotom. bruto fulmine. s. solut a potestas. n. 103.*

De usu &
auctoritate
J. Can.
Veteres de-
cretales.
Regesta.

XXXIII. Denique usum atque auctoritatem Decretalium paucis etiam attingamus. Et veterum quidem Decretalium usum non esse exiguum Cujacius censet, quod absque iis vix quisquam bene interpretari jus Canonicum possit. Eadem ratio etiam est *Regesti*, quod vulgò *registrum* appellant. Exstat *Regestorum* vox in constitutione *de Just. Cod. confirm. §. 4. Et in l. 2. C. T. de discuss. ut & in subscriptione l. 14. C. T. de Indulg. deb.* Erantque monumenta & acta publica diversorum officiorum & judicum, in quæ & constitutiones Principum referebantur. Glossæ nomicæ: *Κηιον ηγη περὶ τῶν τῶν ἀρχαίων ἀπὸ τῶν ἱερογέγραμμένων.* Vide Jac. Godofr. *commentario ad d. l. 14. C. T. de Indulg. deb. tom. 4. p. 210. post Cujac. 15. Observ. 37.* Inde vox applicata commentario seu codici, quo regerebantur epistolæ decretales. Has enim diligenter in chartario Ecclesiæ Romanæ conservatas fuisse docet D. Hieronymus in apologiâ adversus Rufinum: *Si à me, inquit, fictam epistolam suspicaris, cur eam in Ecclesiæ Romanæ chartario non requiris.* In hoc ergo *Regesto* decretales integræ habentur, non semper in antiquis compilationibus. Quare Interpretes & in primis Johannes, quem Andreæ nothum appellat Alb. Gentilis, sæpe ad *Registrum* provocat. Et censet Ant. Augustinus rectius interpretationem hinc desumi.

Porro

Porro & veterum decretalium usum quoque exserere se in glossis veteribus legendis, ostendit exemplis Alberic. Gentilis p. 31. ad quem remitto.

XXXIV. Sed numquid etiam hodie jus faciunt antiquæ Decretales? Videbatur ita: Derogatum enim non fuisse juri primæ collectionis per secundam, nec utrique per tertiam, & sic deinceps. Ergo nec omnibus hisce per sextam collectionem Gregorii. Quo facit, quod Doctores sapissimè ad antiquam provocant, quod frustra fieret, nisi etiamnum usum obtineret. Sed verius est, fuisse antiquatam. Constitutio enim hoc ipso, quod non inserta Codicis constitutionum non censetur approbata. *Roman. consil. 112.* Et sæpe respondet ita Joh. Andrea, *revocatum esse, quia non inserta. Joh. And. add. ad Specul. de offic. deleg. de Recus. de Procur. de Adv. de Salar. de Instru. edit.* Et ita sancitum disertè est à Bonifacio in proemio sexti. Confer Gentilem *lib. 6. de nupt. c. 23.* Eadem & Regesti est ratio, quod contra decretales non est allegandum, quales sunt hodie corpori Canonico inclusa. Vide Alb. Gent. *m. p. 43.* Recurrere tamen eò juvat, ubi vel textus emendandus, vel decretalis in dubium vocatur aut Raymundus forsàn dormitavit. Quam viam etiam monstrat Innocentius IV. in præfatione apparatus sui in Decretales. *Fr. Florens præf. p. 30.*

XXXV. Porro observandum, quod quemadmodum jus ferendi legem penes Principem est solum, nec tamen lex ista in quantum privatorum utilitatem respicit, obligat aliter, quam si moribus, ceu tacito populi judicio approbata sit. *l. de quibus. §. 1. ff. de LL.* Ubi Julianus sub Imperatoribus jam tum vivens ait: *Ipsæ leges nullâ aliâ ex causâ nos tenent, quam quod judicio populi recepta sunt.* Sed & Papinianus

Legg. & Canon. nō obligant absq. observantia.

mus Præfectus Prætorio sub Caracallâ Demosthenis *Orat. 1. adversus Aristog.* descriptionem facit suam, quâ lex dicitur communis Reip. Sponsio: Ita & rem se habere circa leges Ecclesiasticas, ut ante parendi necessitate Christianos non teneant, donec usu sunt receptæ. Rectè itaque Gratianus *dist. 4.* Leges instituuntur dum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur. Confer consentientem omnino nobis Covarruviam *lib. 2. var. res. c. 16. n. 6.* Ubi hanc vocat opinionem communem. Navarrum *in summâ c. 23. n. 41.* Et de lege Ecclesiasticâ habemus sententiam Innocentii I. ad Decretorum editionem consensum Episcoporum Provincialium requirens. In eandem sententiam Gelasius dixit primam sedem exsequi uniuscujusque Synodi constitutum, quod universalis Ecclesiæ probavit assensus. Confer Nicolaum Cusanum *de concord. Cathol. lib. 2. c. 9. 10. 11.* Id quod cum Romani Pontifices benè intelligerent olim hinc in formulâ professionis, quæ habetur in *Diurno Ecclesiæ Romanæ* spondent se observaturos & confirmaturos omnia decreta prædecessorum, quæcunque ipsi synodaliter statuerunt & probata sunt. Edidit hunc diurnum Romæ Lucas Holstenius, vir celeberrimus, Ann. 1660. Sed quia non erant hæc forsân ad gustum curialium, suppressus fuit liber.

*Gallia non
admittit ca-
nones nisi
ab Ecclesiâ.*

*Examinatos
à Rege pro-
batos.*

XXXVI. Hoc probè intelligens si quæquam, Ecclesia Gallicana, propterea novâ legem ad examen suum & Regiam approbationem revocat. Nam nec olim Canones apostolicos statim admisit. Et secundam Nicænam Synodum in concilio Francofurdiensi repudiavit, octavæ Synodi canones aliquot non illicò recepit. Eodem jure usâ est in concõventu Bituricensi à Karolo VII. Rege Francorum indicto, cum

cum à Legatis concilii Basileensis Ecclesiae Gallicanae congregatio rogaretur, ut statuta & decreta concilii reciperent. Inde est, quod Bonifacii IX. constitutiones non recepit ob dissidium Regis cum Pontifice, ut supra dictum & notat Glossa ad c. 16. de Electio. in 6. neque solum in his quae ad jurisdictionem secularem pertinent, sed & in spiritualibus, quatenus adversantur libertatibus & juribus Ecclesiae Gallicanae: Quod mirum non esse ait Fr. Florens, cum & curia Romana non recipiat omnes Decretales, quamvis publicis collectionibus contineantur. Nihilominus tamen plurimas Decretales libro sexto comprehensas in judiciis hodie vigere, & frequenter apud summa curialium tribunalia à causidicis laudari testatur P. de Marca de conc. sacer. & gis.

Imp. Romanas an subsit juri Canonico necessitate legis.

Imp. lib. 2. c. 17. n. 5. in fin.

XXXVII. Numquid verò fecus est in Imperatore Romano? Nempe ut constringatur jure canonico. Ita P. Ostermannus in prodromo paratitorum jur. Can. disput. 1. p. 8. & seqq. Sed contrarium omninò verum est. Jus enim canonicum positivum, sive quod ex arbitrio & placito conciliorum atque Pontificis Romani conditur, non magis Imperatorem, atque Regem Galliae obligare potest, & hactenus eadem ratio, quae §. 35. à nobis posita, militat. Etsi non nego, plus indulgisse Romanae sedi Imperatores Germanorum, quam Reges Galliae. Quod vero de his diximus, idem & de Graecis, Republica Venetorum, & reliquis Regibus asserimus. Denique jus canonicum derogat juri civili non sua vi, sed quatenus in aliquâ republicâ hac fini receptum est, adeoque ex consensu utentium.

Quid de aliis superioris nescis.

XXXVIII. Id quod in eorum territoriis & locis, quibus ab Ecclesia Romanâ in causâ religionis recessum est, nihil

J. Can. auctoritas in Ecclesiis reformatis.

nil habet quidquam dubii. Eatenus scilicet valet, quatenus Principes reformati, jure Imperii circa sacra potiuntur illud approbarunt, & usu fori receptum est. Nec secus, atque Imp. Antoninus legibus Rhodiis jubet judicare, sed quatenus nulla Romanorum illis adversatur. *l. a. §. i. ff. ad L. Rhod. de jact.* ut scite explicat Dn. Brandmyllerus *manud. ad Jus Can. proleg. p. 12.* Sed nec aliter Saxones Jus Pontificium admisere, ut habet Saxonicus Speculator *lib. 1. art. 3. ibi: Er mag doch kein Recht segen / da er unser Land- und Lehn-Recht mit ändern möge.* Valet itaque non ex auctoritate Ecclesie Romanæ tanquam lex, sed ut doctrina magnæ auctoritatis Interpretis. Et ita quoque in Academiis adhuc docetur, ejusque scientia ab his exigitur qui summam in hoc jure dignitate Doctorali potiri volunt. Et quemadmodum S. Cta, Plebiscita, responsa Prudentum, & similia jura in corpus Justinianum redacta, non ex potestate rogantium, aut respondentium, sed Justiniani, & hoc ipsum jus Justinianum hodie non ex auctoritate Justiniani, sed quatenus ab Imperatoribus Germanicis receptum & statui nostro accommodum est visum, denique ut jus Saxonicum non suâ vi, sed usu & approbatione recipientium, ita etiam jus canonicum valet, non ut Canonicum, sed ut suum cuiusvis ditionis jus Episcopale sibi vindicantis jus proprium.

*Regula de
usu Jur. Ca-
non.*

XXXIX. Ut autem certius sciatur, quousque communitur jus Canonicum receptum sit, regulas quasdam generales Dd tradunt, quæ hæc sunt: Quoties alterutro jure quid decisum est, quod in altero sit controversum, toties definitio expressa in utroque foro sequenda. *Rittershus. proæm. de diff. jur. Civ. & Can. p. 9.* Videri potest *can. 1. & ibi Dd. de op. nov. nunc. Abbas ad c. licet. n. 14. de foro comp. Rebuff.*

ad Constit. Reg. in proem. gl. 5. n. 126. P. Christin. Decis. Belg. 54.
 n. 1. vol. 2. Mynsing. Dec. 6. Resp. 85. n. 3. Wesenb. part. 1. conf. 6.
 n. 202. & conf. 43. n. 58. Menoch. lib. 1. arb. q. 30. n. 3. Deinde cum Regula sc:
 jus civile & canonicum inter se pugnant, pugnare autem intelli- cunda
 gendum est, si inter ea contradictio intercedit, jus civile servari
 debet in foro Imperii. Jus canonicum in terris Ecclesiae. Johann.
 Andr. ad c. 1. n. 5. de op. nov. nunc. Decian. lib. 2. tr. crimin. c. 18.
 Tusch. concl. 277. n. 36. Myns. d. Resp. 85. n. 6. Decius ad c. Clerico
 8. n. 1. de Judic. A. Geil. 2. O. 121. n. 5. Ockermann. prodr. paratit.
 Jur. Can. Disp. 1. n. 8. Quid si verò in alieno foro jus æquius ob-
 tineat? Æquioris jus sequendum ait Sichardus ad l. placuit. 8. n. 3. *Quæ an jus æ-*
 C. de Judic. Casum ex Gvidone de Baliso Archidiacono Bono- *quius, juræ*
 nienti in c. quod à patribus. 4. dist. 75. adfert. Si nimirum cleri- *proprio*
 cus juret, se die Lunæ mihi solviturum esse, nec solvat ante occa- *preferen-*
 sum solis, an erit perjurus? Secundum jus, ait, Canonicum, quod *dum.*
 diem definit à vesperâ ad vesperam erit perjurus c. 1. x. de fer. At
 quia rariius hac parte jus civile, diem à mediâ nocte in mediam
 terminans l. 8. ff. de Feri. Clericus si solvat horâ noctis XI. non
 erit perjurus. Hæc ille. Sed mihi nequaquam ita videtur. Primò
 enim non facile constat, utra æquior censenda definitio, illane
 quæ debitori favet, & conscientiam contra jurisjurandi promissi-
 onem laxat, an quæ pro creditore facit, cui jurando jus adquisi-
 tum est, & qui verba accepit, secundum leges sui fori: In primis
 quia debitoris erat, ut legem solutioni apertius dixisset. Dein-
 de si verum est, quod pugnantibus invicem hinc juribus, servan-
 dum sit sui cuiusque fori jus, utique hæc æquitas non erit æqua,
 quæ interpretationem ex alio fori repugnante jure petit. Porro
 æquitas est ἐπινοήσιμα ad rectitudinem reductio, juris positivi in-
 titu circumstantiarum in hypothesis emergentium, ἢ ἐπιπέρι ἀπο-
 τὸ καὶ πόλις. nequaquam verò neglectio juris positivi hujus reipu-
 blicæ, quod eodem modo universale est, & ob universalitatem
 deficit. Denique injuriam facit creditori iudex haut dubiè, qui
 aliud quàm sui fori jus dicit partibus, princ. Inst. de off. Jud. ut
 non dicam & in legislatorem committere jus alienum in rempu-
 blicam intromittendo: sane quidem non nego, quin Iudex
 pos-

possit sed & debeat circumstantiarum ratione habitâ, ubi nihil parumve intererat creditoris, ex morâ tantilli temporis, parcere debitoris conscientia & fama: sed hæc æquitas & mitigatio rigoris non petenda est ex alieno foro & jure: sed debet in animo judicis, ex ipsius negotii circumstantiis, negotium hoc attemperantibus efflorescere. Non ergo descendum est jus proprium, propter alienum: sed si neglectis circumstantiis mitigationem merentibus jus proprium in injuriam desitutum sit, æquitate non aliunde adscitâ & mutuata, sed prudentis & æqui Judicis animo deprompta temperandum est.

Materia

speciales,

quibus Jus


Can. obser-

vare volunt.

XL. Porro in specie Jus Canonicum præcivili locum habere volunt, primò in matrimonialibus causis, & quæ eò pertinent, gradibus, sponsalibus, consensu parentum, liberis & eorum alimentis, concubinato, divortiis, eorumque causis, dote, arrhis secundis nuptiis, earumque tempore & pœnis. Deinde in patris, stipulationibus, emphyteusi, usuris, antichresi. *Canin. prælect. ad tit. juris Can. de usur.* Porro in bonis Ecclesiasticis, beneficiis, decimis, piis causis. *Gvil. Redoan. de spol. Eccl. Canisius ad tit. de decim. primit. & oblat. Tiraq. de priv. pie caus.* Sed & in instrumentis, fidei commissis, detrahendis quartis. In juramentis, denique ordine judiciario, iudicibus, testibus, appellationibus. *Rittersh. diff. jur. civ. & can. proem. p. 10. Duck. de auct. jur. lib. 1. c. 7. n. 12.* Nihilne præterea? Imò præteritu peccati nihil non ad se pertinere voluit *Canonista*. Vid. *Alb. Gentil. de nupt. lib. c. 17. & 18.* Sed aggeribus coercendus est hic cataclysmus, quos objecimus jam supra, ut nimirum non aliter admitatur, quam quatenus vel Jure Canonico solo decisum quid est, vel quatenus territorium Ecclesiæ patet, vel denique quatenus usu receptum & approbatum est. Sed quid si immediatè de conscientia agatur? Hæc neutri subest juri: Sed verbo divino regenda, Deo judicanda relinquatur.

F I N I S.

DIS-






ULB Halle 3
003 596 869



Sb

WDA







755.
30

JOHANNIS STRAUCHII,
Antecessoris Salani, 1669, 53

SELECTARUM
CRITICO-CANONICARUM
DISSERTATIONUM

PRIMA:

De

ORIGINE, AUCTO-
RITATE, ET LIBRIS JU-
RIS CANONICI.

Quam

publico eruditorum examini

offert

SEBASTIAN FRIDERICH Zierig.
Cüstrin. Neomarch.

Paul d. VII. April. *Henrich Simon*

H. L. C.

JENÆ,
Typis NISIANIS. Anno
cl^o l^oc LXIX.